



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

III.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO TERTIA.

- 7. *Ἐὶς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν εἶπε.*
- 7. *In se autem reuersus, dixit.*
- 7. *Quumq; ad se rediisset, ait.*

Græca.
Vulgata.
Syriaca.

ARGVMENTVM.

- Ostendimus quod
- 1. *Quam primum oculi nostri aperiuntur ingredi debeamus in nos ipsos.*
 - 2. *Quis author fueris dicti, γινῶδι σαυτὸν, nosce te ipsum.*
 - 3. *Quantum boni adferat dictum hoc deductum in opus.*

A V E.

I.

Quam Primum oculi nostri aperiuntur ingredi debeamus in nos ipsos.



Cce igitur o Prödige. Ecce Dei & aduerſitatum ministerio oculos tuos apertos, aut apertioni proximos; ecce pelliculam, ecce albuginem detestam. *Ceciderunt ab oculis eius tanquam squama & visum recepit.* Ecce ablata *Act. 9.*

obſtacula, ecce minutos humores nimios, qui illos obſidebant, & obturabant; ecce lutum ex Domini nostri ſputo confectum (humiliationem dico tuam) à manu vlrice altissimi. Ecce viſum tibi redintegratum: iam adeo perſpicui ſunt tibi oculi vt aquilas columbaſq; adæques. *Oculi tui columbarum.* qui ante eras Tobia aut Thebano Tireſia cæcior: iam repente totus factus lynceus, vt ipſum te deducas, iam clare videns quo perges! quò ibis? quo te primum aduerres? abijciesne quod aiunt manubrium poſt ſecurum? An forte ex prima te illaqueabis arbore, in-

Cant.

C

fortunij

1. Reg. 17.

Euthym. in
Lucam
cap. 57.

fortunij impatientia, & pudore paupertatis, ve-
nulli; aut veniæ desperatione sicut Iudas aliquis
Achitophel. Non sine vitio ex vna parte diabolus
luc vsq; te demersit, & per peccata prostravit vt
meditaberis & Dei iusta seueritas desperationis
formidinem nobis adducit. sed confido de gratia
quod in Diaboli caput consilia sua recident, ac
rem institues vt Deus tibi pater, tibi amicus fiat,
alique te recipiant, vnde Diabolus, nequissimus
Achitophel, te perdere & deturbare cogitarat. Fal-
ne, ecce Euangelista bonam spem ingerit. *In se reuersus*. id est, sui compos effectus, vt explicat
Euthymius, ac menti redditus quam apud patrem
nens possederat, aut iuxta S. nostrum Antonium
Padua, considerans statum suum & intellectum
ritati intendens, vel vt ego malim, ingressus in
scientiam & notitiam sui. O quam bene: O quam
feliciter: *in se reuersus*, O bonus vsus, nouiter res-
tuti visus: O magnum & sanctum iter, inchoatum
paupertate.

D. Gregor. lib. 2. dial.] *Quotiens per cogitationis mo-
rum extra nos ducimur, & nos sumus, & nobis sumus
non sumus.... Duobus modis extra nos ducimur, quia aut
per cogitationes lapsum sub nos reducimur, aut per con-
templationis gratiam super nosmet ipsos leuamur.*

Et certe quo melius, ire posses, homo miserime,
quod iter breuius, compendiosius, vtilius, post tam
longum inires exilium; squalens fatiscensq; pueris
fordibus, fame, lassitudine, ex tam immitti duraque
seruicute, à porcorum custodia, inquieti gregis, &
suum sæpe calcantis custodem; quam iter, scilicet
viamq; ad te ipsum, in te ipsum, vt te discas, presen-
tesque misérias, causasq; earum, tempus lapsum, &
reuertendi media. *Recogitabo tibi omnes annos meos in
amaritudine anima mea &c.* O factum belle! primum
in se reuerti. Res illa maxime necessaria: illuc ante
omnia recipere se debuit, *bene in se reuertitur, quia in
exierat*, dicit S. Ambrosius. O primum iter, quo
quam primum homini mouere pedem licet, id est
quar

Ambro. lib.
2. in Luc.
cap. 15.

quam primum ratione uti incipit, ambulandum est. O viam! o profectioem salutarem? eat qui voluerit cum Rebecca inquisitum oracula, & sententiam Domini de gemellorum lucta quos gestabat utero. Comitentur alij Platonem, Apollonium, aliosque qui

Genes. 25.
Hieron. ad
Paulin. de
om. 1. hist.
lib.

fugaces sequebantur toto orbe scientias, Alij itinera Herculis decurrant omnia, ad nominatissimas vsq; columnas, ut monstris, portentis, & tyrannis orbem expurgent; Alij Orphei Thesei & Aeneæ sequantur vestigia, ad infernum vsque: imo & Astrologorum vanos spiritus qui cœlum perambulant, sperantes ex astris Dei mysteria ac consilia perdiscere secretiora, vtea detegant nobis. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum, transiit in terra.* Quid dico imo & ipsa itinera raptumque S. Pauli triduanum in tertium cœlum, (agentis forte vnum diem in cœlo quolibet, quis nouit, cum & ipse multa de itinere suo ignorarit: *Nescio, dicit sæpe, Nescio Deus scit*) vbi ea vidit quæ non licet homini loqui. Date veniam sapientissimi huius orbis peregrini, & vos, quorum deuotionem tamen & probo & commendo tanquam catholicus semper cum Dei gratia futurus (qui ab ortu ad occasum, à meridie ad septentrionem loca sancta visitatum curritis, *ut adoretis in loco ubi steterunt pedes eius* Dei simul & hominis, quem sanguine suo rigauit) dico nihilominus, nec vllum iter tam breue, tam securum, tam parum habens impendij, tam multum salutis, nec tam omnibus necessarium, quam hoc quod noster Prodigus hodie decurrit, *in seuerus*, in suã scilicet descendens notitiam, in conscientiam mentemque propriam. Prædictorum enim itinerum, quædam non sunt imposita omnibus.

Psalms.

Psalms.

Quædam & vetita nonnullis, vt religiosis, coniugatis, sine consensu mutuo, veniaq; Prælati.

Quædam aliquibus etiam impossibilia, aut vium, aut mediorem defectu, aut viarum impedimentis.

Quædam non sunt necessaria.

Quædam & corpori & animæ, & bonis damno
Longa enim itinera (vt est in Prouerbio) nec equo
reducunt meliores, nec prudentiores homines,
sed hoc mandatum omnibus, prohibitum nulli pos-
sibile cuiuis, cum nullius detrimento, cum omnium
bono coniunctum. Fecit igitur, dilectissimi, Prodigus
noster iter magnum & spaciosum, *reuersus in seipsum*.
Sed vnde? video quo iuerit, nescio vnde venerit, vnde
de igitur est in se reuersus: Vnde? à foris, ab ex-
tra se, *per cogitationis lapsum sub nos reducitur*.

D. Greg. li.
2. Dial.

Georg. Ma-
crob. in sua
Azoto Eu-
ang. act. 5.
scen. 1. in-
geniose fin-
xit prodig-
um in A-
sia luxu-
riatum.

inquit, S. Gregorius. Vnde? à nimis curiosa
scrutatione, & inquisitione externarum & terrenarum
reum, ab inordinato amore. vnde? ex carcere,
ex laqueis, ex manibus sensuum corporis, ex cru-
tissimis animarum latronibus, qui animam ipsam
tanto tempore in Asia, Corinthi, Mileti, Alexandria,
aliisque ciuitatibus, voluptatum, & deliciarum officii-
nis tam grauius detinuerant captiuam. vnde? à cra-
pula, longaque extasi, à phrenesi, qua semper vexabatur,
a primo tempore, quo patri partem hæreditatis ex-
torfit.

Simon Cass. lib. 6. c. 16.] *More extasim patientia ex
infirmirate, seruator parabolam ponit, qui recta caret sen-
sum actione; aut eius, qui aliena loquitur, qui, lucido
habito interuallo, recta pronuntiat, & extasi terminata
sensus, redit ad sensus.*

Ibidem.] *Peccator à se recessisse dicitur, velut, quæ
ratione deperdita, irrationabilia operatur. in se vero reuer-
titur, cum indita rationis est compos. Reverti igitur in se,
est quasi ex infania ex phrenesi ad mentem ad ratio-
nem redire. vnde? ex brutali recta, quæ nihil minus
quam humanitatem & rationem præferat, quam il-
lucusque consecrabatur. Vno verbo transformatus
ex bestia in hominem, vt nuper ex homine in besti-
am. O quot latent bestia sub larua & specie homi-
num! vtinam hodie pulchra metamorphosi cum no-
stro Prodigio ex bestiis ad homines redeant omnes!*

Petrus Rauennas ser. 2. de Prod.] *A se migrat, &
ab homine transit in bestiam, paterna pietatis immemor,
gratia genitoris oblitus.* Vnde

Vnde ex longinquo, à retro Dei optimi, quem tanto tempore deseruerat. ita sane, dilectissimi, peccata a Deo elongant, peccata homines in bruta transformant & extra seipsos eijciunt.

Verum nota, quod Prodigus noster non dicatur reuersus *ad se*, vel *iuxta se*, nec *ad sua* quasi propria aut hereditatem sed *reuersus in se*, quod emphasim habet & plus dicit. redire enim ad se, nihil aliud est, quam recogitare illa quæ ipsum concernunt, aut miseras, aut bona, fortunas, infortunia, res externas, sicut de castro aut domo loquimur extra urbem. Et hoc equidem longe à salutaris conuersione abest, sed *reuertere in se*, est, considerare ipsas animi miseras, intra domicilium, intra conscientiam, & spectra & terribiles peccatorum species intrare. *Omnis gloria (& ignominia) filie regis (Dei) ab intus: ab intus. regnum Dei & diaboli intra vos est.*

Ita plus dicit *in se* quam *ad se* reuertere: dicit enim magnas metamorphoses, magnas conuersiones, & immutationes vitæ. magnum iter vsq; *ad se* reuertere. Maius & melius *in se* redire, ad mentem scilicet bonam, quod utiq; sine speciali Dei gratia fieri non potest.

Prodigus igitur noster primum ascendit pœnitentiæ gradum, primum dico, eorum quos S. Ambrosius de Padua hic obseruat. *Primus* redire in se. 2. componere & comparare inter se miseras suas, & felicitatem mercenariorum, aut comparare quæ ex bona vita surgunt commoda, cum incommodis quæ ex peccato, ac ita increpare seipsum. *Quanti mercenarii Luc. 15. in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic factus sum sicut mercenarius. Apoc. 2. me pereo, memor esto, vnde excideris.*

3. Reuocare & erigere appetitum ad cœlestia, detestari terrena, aut proponere emendationem. *Surgam qui cecidi, qui iacui, qui male sedi, & cessator fui, qui dormiui in luto & lecto peccati.*

4. Redire ad bonum, *ibo ad Patrem.* Addamus 5. Propositum firmum, bene confitendi peccata; & dicamei, *Pater peccauit in cœlum & coram te & 6. submitten-*

mittendi, se pænæ ac satisfactioni (vt Catholici
appellamus) debitæ. *Fac me sicut unum ex mercenariis.*
Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quoniam ego in flagella paratus sum. Hic ure, hic seca, vt in aeternum paratus

Gregor. Nicen.] *Non prius redit ad pristinam pietatem, quam in se rediens sentiret opprimentis ardua presentiam, & meditaretur pœnitentia verba.*

Transcundum est bono ordine ad pœnitentiam. pœnitentia enim vt spirituales viti definiunt, non aliud est quam *reditus ad se* & ex hoc & per hoc in Deum. *Cogitavi vias meas*, quas scilicet primum ambulabat Propheta David, & inde *conuersti pedes meos in testimonia tua*, quæ scilicet nobis vt implenda proponuntur alibi, *college & congrega cor tuum*, & *redite praecatores ad cor. compelle intrare.* & deinde, *conuertimini ad me in toto corde vestro.*

Petr. Chrysolog. serm. 2.] *In se reuersus est, in se autem redit Prodigus, vt redeat ad patrem, quia à se antea recesserat, cum recessit à patre.*

Conforme huic est antiquorum dictum, *Scipiano nosse, sciendi est principium.* Et ideo olim magnum aureisq; litteris, non in pauimento, non in altari, sed in limine Apollinis Delphici celeberrimum illud dictum inscribatur, *γνώθι σεαυτόν, Nosce teipsum.* tanquam sapientiæ initium, & ad Deum introitum, & merito litteris aureis: nam & dictum aureum, auroq; pensandum. breue sed quod sine reliquis sufficit, quamuis reliqua sine hoc profint parum. vnde etiam Delphicum oraculū, Cræso regi inquirenti qua ratione felix foret, respondit: si teipsum noueris, vt habet Macrobius. Et apud Græcos se mutuo salutabant verbo *σωφρόνεις* quod, vt explicat Plato, idem est quod sapiens sis, siue bonam det tibi Deus mentem & quasi *γνώθι σεαυτόν, nosce teipsum.* Primo occurrit quasi optantes, vt opinor, ire ad Deum. Det nobis Dominus gratiam, vt in nos cum Prodigio reuertamur ac ibi nostri discamus scientiam, vt hoc limine a notitiam & amorem summi Dei ingrediamur.

Psalm.

Eccle. 30.

Isaia 46.

Luca 14.

Ioel. 2.

Macrobi. li.

1. in Scip.

som. c. 9.

Plato in

Charmide.

II.

Quis fuerit author dicti, γινώσκει σεαυτὸν,
Nosce teipsum.

Certe parui momenti iter esse non potest, reuerti
in seipsum, cum illud ingrediendi consilium,
γινώσκει σεαυτὸν, venerit ab alto.

Theologi enim Christiani dicunt à Deo nostro
profectum; qui Adamo, paulo post creationem, in di-
uina schola (vbi homo Angelorū erat condiscipulus)
dixit, *puluis es & in puluerem reuerteris.* & paulo post,
ante peccatum nimirum, cum vtrumq; sexum bene-
dixit & pariter *vocauit nomen eorum Adam*, nam tum
communē vtriusq; nomini, *Adam*, quod significat
terrigenas (quæ a illos ex argilla rubeoq; limo plas-
mauerat) præmonuit ipsos, quales nam essent, &
pulcherrimam istam lectionem *nosce teipsum* præscri-
psit. ideo & Agapetus Diaconus hoc mandatum ali-
cubi appellat *θεῖον καὶ πατρῶν*. quasi primum à Deo pro-
fectum, ipso mundi initio homine vix creato, vt sicut
terra semper nostris obijcitur oculis, ita illud nun-
quam à memoria recederet. Appellauit non *Adamos*
id est, *terrenos* quasi aperte dicere voluisset, recordare
qui sis, & vnde, limus es, & lutum, ac ideo *Adamos*
aut *terrigenas* vos appello. terra, cuius dorsum vos
sustentat, nomen vestrum vobis suggerat, & nomen
quod vobis impono commonefaciat vos terræ, de
qua formati estis; nomen deniq; & terra pariter hu-
manitatem & humilitatem vobis subingerant, *Me-
mento* (vir & vira) *quod sicut lutum fecerim te.* nomen
Adam, aut *terrigena*, auribus vestris insonans, mag-
num intra vos agmen virtutum recolligat, vt tubæ
militum suscitant animos, & campanæ Christiano-
rum parochialem quemq; ad suam ecclesiam. Vide-
tur etiam hanc lectionem Deus voluisse reficere Je-
remiæ, cum eum duxit in domum figuli, ostendens
quomodo figulus ex eadem argilla varia formet vasa,
frangens, inficiens, reficiens, ad arbitrium. Ita *Jerem. 18.*
hæc lectio primum ex Dei schola descendit, & ran-
quam diuina bene repetenda, inculcanda, per-
discenda,

Genes. 3.

Vide Iose.
li. 1. anti.

Iob.

Jerem. 18.

discenda, retinendaque est, ac in usum deducenda in
 qui se discipulos ac Dei filios præferunt. Quamquam
 exteros eosque qui scripturis nostris non credunt,
 nemo est qui non à magno eum deducat principio.
 Nonnulli enim istius generis & superstitionis, cum
 plane fecerunt cœlestem. Iuuenalis inter cæteros
 ait. Poeta plenus mysterijs,

Iuuenia.

Satyr. II.

— è cœlo descendit, γυνάβι σκαυτῶν,

*Figendum, & memori tractandum pectore, siue conu-
 gium quaras, vel sacri in parte Senatus
 Esse velis.*

Clearches similiter huc videtur accedere, qui scri-
 bit aliquando vnum de 7. Sapientibus, quondam in
 celebratis (fuerit forte Chilon) interrogasse, quid
 hominibus esset optimū. Sacerdos Pythia, aut Pha-
 nithea, aut Phæmonoe (eodem redit quomodo ap-
 pellentur) respondit *seipsum nosse*. Si qui forte inter
 veteres Paganos minus magnifice, quam iam memo-
 rati, de dicti huius origine lentiant; nemo tamen est
 qui illud non à maximis saltem cogitet descendisse,
 quamuis de authore non consentiant: quidam enim
 Chiloni Philosopho Lacedæmonio tribuunt, vt Plini-
 us; Alij Soloni Salamino, Alij Bianti Priæneo. Deus
 bone, qui homines, si homines appellādi magnæ istæ
 animæ. omnes tres ex sacro 7. sapientum numero. Bi-
 as princeps Priænæ, homo nihil iuum æstimans præ-
 ter scientiam, prudentiā, ac virtutes, reliqua lusum pi-
 lamque fortunæ: homo Iesu Christi apostolatu idone-
 us, si in illa tempora fuisset reseruatus, ob celebrem
 illam, quam dixit in vrbe excidio sententiam, expor-
 tantibus singulis & baiulantibus quæ possent, ipse ni-
 hil efferens. *Omnia inquebat mea mecum porto*. Solon
 legislator Atheniensium, populi omnium sapientis-
 simi, legislator legum. adeo æquarum & iustarum, vt
 per illas maximam & populi, & Senatus, iniret gratiā,
 & dissidia motusque; qui emedicabili odio inter ipsos
 videbantur gliscere, eisdem componeret. Solon dico,
 qui Cræso pulcherrimum illud dogma dedit quo
 postmodum vitam seruauit, cum videlicet Cyrus cap-
 tum & rogo impositum statuisset exurere.

Plini. lib. 7.

cap. 12.

Sidon. Ap.

Cicer. in

Parad.

Dist.

Dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet. Ouid. lib. Metam.

Chilon tantus vir, atque à suis amatus, vt cum audita filij in Olympicis certaminib. victoria gaudio, exstingueretur, tota eum deplorarit ac sepelierit Græcia. Sit, horum trium quicumque huius dicti author, *Nosce teipsum*: nonne equidem plurimum authore suo commendabitur, etsi cœlitus ac immediate à Deo non descenderit.

Primus discendi ardor est nobilitas magistri, dicit S. D. Ambr. Ambrosius: Porphyrius Christianus apostata, medium viderur seruare diuinam, humanamque ei assignans originem, à quocumque sapiente hoc dictum sit, Stobaus. aut à Deo profectum, aut non sine diuina inspiratione. Loquens in eo conformiter S. Ambrosius: *Veritas à quocumque dicatur, est à Spiritu Sancto.*

Malim simpliciter dicere, à Deo venisse. Docente Phil. Iud. humaniter, primos homines, aut de cœlo delapsam, formata in æthere voce (quod de decalogo putat Philo, ad illud Exodi: *Populus videbat voces*) aut per scriptum. Hæc igitur tam nobilis, breuis, sed neruosa lectionis origo, stimulare nos debet, vt eam perdiscamus & perficiamus, vt noster facit hodie Prodigus in se reuersus.

III.

Quantum commodi adferat hoc dictum deductum ad opus.

Sed heu! vnica hæc lectio minime recepta, minime Hugo lib. 1. præsens nobis, minus etiam quam aliæ humanæ; de an. c. 9. *Multi multa sciunt, & seipfos nesciunt; omnes sciunt omnia, & singuli aliquid, paucissimi seipfos.*

In sui ipsius notitia omnes cum Socrate dicere possunt, *vnum scio, quod nihil scio, mei scilicet ipsius, & Psalm.* in hoc solum libro rudis totus, ac Schyta imperitior sum. *Delicta quis intelligit.* Astrologiam rem longe à nostris sensibus amotam, quidam non minus se calere putant, quam Alunazar: *numerant multitudinem* Psalm.

nem stellarum, & omnibus eis nomina vocant. ita eos dignoscentes, vt venator canes, vt Dux militum agminumque præfectos. In herbarijs, in simplicium scientia Plinium, excellunt & Dioscoridem, in Medicis Hippocrates, Galenos, Paracelsos, quasi vilia inuisè despiciunt mancipia, sed in sui notitia, cheu nihilo versatiores quam Arcadij asini.

Et totum mundum nosse, ac ab eodem cognoscere, plenum esse mundi mundanorumque scientia, nihil nos iuuat sine *scientia sanctorum*, quam habuerunt Sancti, si viuamus & moriamur ignoti nobis & Deo, *nescio vos sed, ignorans (sui & Dei) ignorabitur.*

Sen. in Thyeste act. 2. in fin.] *Illi mors grauis incubat*

*Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.*

Cant. 1.] *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere.*

Contra nihil scire, & seipsum nosse, infinita mihi videtur adferre commoda. quid enim non poterit notitia animæ, cum & corporis eiusque qualitarum & temperamenti cognitio, profit quam plurimum. Antiquus ille Philosophus, qui discipulos suos specula iubebat circumferre, vt inspicientes seiplos corporis pulchritudinem, animæ vitij ac turpitudine non deformarent, aut si næuum aliquem deprehendissent, eum supplere studerent, & exornare virtutibus, vidit, quanti momenti sit etiam externa solum sui notitia. Similiter & Seneca Stoicus Præceptor Neronis, discipulus S. Pauli.

Seneca lib. 1. nat. quæst. c. 17.] *Inuenta sunt specula, vt homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta: primo sui notitia: deinde, & ad quadam consilium: formosus vt vitaret infamiam; deformis vt sciret remedium esse virtutibus, quicquid corpori deesset; iuuenis vt flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia* audendi: senex vt indecora* canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipos videndi, fons cuique perlucidus, aut leue saxum imaginem reddit.*

* al. audiendi.

* al. carnis.

*Nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis stare mare.*

Plato in Alcibiade priore docet:] *Nullum clarius,
nec oculo ipsum se videre volenti, speculum commodius re-
periri, quam sit alterius hominis oculus.*

O optimum & sanctum speculorum vsum, modo nos Christiani essemus, ac veri Philosophi, nihil enim nos latebit, quod in nostri cognitionem nos inducat. Summus Deus, maximus ille Chemicus, artificiosissime ex malis nouit elicere bona, ideo videtur detractores, oblocutores, murmuratores, inter nos permittere, qui nos delineent ac depingant linguarum suarum penicillis, sæpe magis graphice & ad viuum, quam Apelles per suos, Alexandrum, quos homines Philippus Macedonum rex, ductores suos appellare consuevit, idque quam optime. Dum enim illi de actionib. ipsius censent, discebat ubi deflexisset, & quid corrigeret. Non enim omnes æque acutum vident, vt Ieremias inopiam & defectus suos. *Ego vir, Thren. 3.
videns paupertatem meam, dicit: non omnibus ita ape- Genes. 3.
riuntur oculi, vt primis parentibus, qui ilico nudita-
tem & indecentiam suam viderunt: aperti sunt oculi Psal. 50.
amborum; cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt fo-
lia ficus, & fecerunt sibi perizomata.*

Non omnes cum Dauide dicere possunt, quoniam iniquitatem meam ego cognosco; expedit sæpe, vt aliquem habeamus obrectatorem, (si neminem habeamus adeo libere familiarem, qui nos candidè moneat) vt constet vbi, quoties, quomodo cadamus, qui nobis hoc satyrici aliquando occinat: *Tecum habita Pers. sax. 1.
& noris, quam sit tibi curta supellex. aut paruos quos-
dam scripturæ equuleos, visitans speciem tuam non pec- Job.
tabis.*

Certe nisi res magni esset impendij, seipsum nosse, nunquam hoc pro magno beneficio habuisset S. Augustinus, quod redux sibi restitueretur.

D. August. lib. 7. confes.] *Admonitus sum redire ad
memetipsum, & intraui intima mea, te duce Domine Deus,
& potui intrare, quoniam factus es adiutor meus.*

Et

- Catullus.* Et Poeta quidam gentilis, non oraret tanquam rem magnam falsos suos Deos, *reddite me mihi: S. noster Franciscus Seraphin incarnatus, aut homo seraphicus, Deus bonæ, quam cupide, quam ardentè duplex hoc ingeminabat votum; nouerim me; nouerim te.*
- Incerti autho.* *Chrs te sciant quacunq; alij: mihi sufficit aqua Cognitioq; mei, cognitioq; tui.*
- Psal. 138.* Petens duas scientias, æque necessarias, adeoq; affines, vt altera alteram adducat, cognitionem scilicet sui & Dei. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.*
- Agaperus Diaconus in tabella regia ad Iustinianum Imperat.] *Cum homo didicit, nosse seipsum, tum afsecutus est scientiam diuinam & præcipuam; qui enim nouit, Deum etiam nouit.*
- Nihil enim Deo similius quam homo, signatus Dei imagine,
- Psal. 4.* *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*
- Matth.* *Cuius est imago hæc & superscriptio? dicunt ei Caesaris.*
- Psal. m.* Homo nihil est quam creatus quidam Deus, & plasma formatum ad formam Deitatis. *Ego dixi, Dii estis, & filij excelsi omnes, inquit Regius Propheta, vnde per cognitionem sui ascenditur ad Deum.*
- Stob. ser. 19.* Cassianus super illud Psal. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.] Magnus accessus ad Deum est, cognitio infirmitatis suæ. Dimidium scilicet viæ: nam se nosse, summa scientiarum est, sicut & homo summa quasi & compendium creaturarum. Demonax quidam interrogatus, quando philosophari incepisset, respondit cum me cæpi nosse. Diuinus Plato dicere non dubitauit sui notitiam, absolutam & solidam esse scientiam, & ab hoc præcepto, nosce te ipsum, omnem vitæ sapientiam & iustitiam pendere, ac alibi docuit, impossibile esse prudentem, bonum, felicem fieri, nisi qui se primum cognouerit. Alibi etiam, ignorantiam sui radicem appellat mali, aut potius *Xenoph. lib. 4. de dict. & fact. Socrat.* *uniuersitatem iniquitatis: & Xenophon Platone anti- quior, dicit eos qui se ipsos nesciunt, nec sui nec familia**

milia regendæ idoneos, multo minus Reipublicæ.
 Quid? S. Bernardus alius etiam & ulterius quam ad
 hanc vitam prospiciens dicit.

D. Bernard. ser. 37. in Cant.] *Scio neminem absque
 sui cognitione salutari, de qua nimirum mater salutis hu-
 militas oritur, & timor Domini, qui & ipse uti initium
 sapientie, ita & salutis est.*

Ego equidem nihil puto posse dici homini pro-
 brocius, quam quod seipsum non agnoscat. Occur-
 rit mihi ad hanc rem, quod aliquando R. & Sanctus
 Pater frater Iacobus Escaillette, cum pro Guardiani
 quod habebat, officio in capitulo pleno iuniorum
 quendam religiosum argueret, dixit inter alia, *Cha-
 rissime non nesci te, nihilque religioso illi cecidit æ-
 grius, nihil intolerabilius quam verbula ista, non
 nosti te, perinde enim est, ac si objicias om-*

*nia. Dixeris maledicta cuncta, cum
 ingratum & sui ignarum, ac
 oblitum dixe-
 ris.*



CON-